

eademque sua doctrina imbutas prorsus immutaverunt, ex inimicis Dei amicos faciendo.

Tertio, ex sententia S. Greg. Nyss. serm. de eucharistia, et Cyrilli Alex. l. IV. in Joan. c. XVII. significat venerabilem eucharistiam, quæ cum modica sit aspectu et difficilis intellectu, ubi sedulo et debito modo absconditur in corde per dignam sumptionem, paulatim hominem in se trahit et immutat, ita ut Christus sit in ipso et ipse in Christo. Abscondenda autem est in satis tribus, in sincera fide, animæ puritate et recta intentione, vel in tribus hominis potentiis, rationali, concupiscibili, irascibili.

V. Cur frequenter Christus locutus est in parabolis? Resp. primo, propter morem sapientum, qui parabolis uti consueverant, ut paucis multa et sapienter dicerent: et propter morem Syrorum, quibus familiare erat, Palæstinis præsertim, ad omnem sermonem parabolas jungere, ut scribit S. Hieron. in Matth. cap. XVIII.

Secundo, quia hoc docendi genus est accommodatissimum, præsertim cum explicari debent res spirituales, quæ sensibus percipi nequeunt. Primo enim, per parabolas illustratur intellectus, quia parabolæ rem veluti presentem et sensibilem oculis subjiciunt, ut potius spectari quam audiri videatur: parabolæ inquam explicatæ et enucleatæ; nam aliæ velut nux, clausæ, rem potius tegunt et abscondunt. Secundo, accenditur voluntas et movetur affectus tum propter narrationis jucunditatem, tum propter collationem sensibilem cum spiritualibus. Hinc sæpe parabolæ extorserunt ab homine, quod planus et apertus sermo non extorsisset, uti a Davide parabola Nathan poenitentiam, mulieris Thecutis reductionem Absalonis, etc. Tertio, memoria roboratur, ut firmiter, quod docetur, retineatur; siquidem species intelligibiles sensibilibus affixæ tenacius inhaerent memoriæ. Quare sicut puella margaritas pretiosas, ne forte disjunctas perdat, perforat et filo forti colligat, sic sermones suos Christus parabolis alligavit, ad juvandam auditorum memoriam; unde ait S. Marcus, cap. IV. *Talibus multis parabolis loquebatur eis, prout poterant audire.*

Tertio, sæpe loquebatur in parabolis, propter auditorum perversitatem; quia indigni erant ex una parte veritatem apertam audire, ex altera parte non dignabantur ipsi Christum rogare ut nucem eis frangeret et parabolam explicaret. His ergo velanda erant mysteria, ne ea irriterent et blasphemarent, adeoque velut porci margaritas conculcarent: et quia hoc meruerant, ut non intelligerent, quæ dicebantur. Hoc sensu dixit Luc. VIII. *Cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, etc.*

VI. Cur sacra Scriptura tot obscuritatibus involuta est? Resp. primo: *Ut superbiam nostram frangeremus*, inquit D. Augustinus, l. II. de doctrina christ. c. VI. Qui enim alia omnia scire se existimant, fateri debent cœcutire se in Scripturis ss. Uti vel ipse Lutherus, qui cætera arrogantissimus quasi plusquam omnes videret, in Scriptura se non aquilam sed talpam deprehendit. Etenim in symposiacis, cap. I. fol. III. ait: « Volui aliquoties decalogum meditari, et quando legi prima illa verba: *Ego sum Dominus Deus tuus*, cœpi hæsitare in pronomine illo primo, *Ego*, et hoc *Ego* nondum recte possum intelligere. » Hæc ille scurriliter, sed, ut arbitror, vere: superbia enim ipsius glaucoma ei obduxit ut etiam quæ clara sunt, non intelligeret. Scriptura sacra instar fluvii est, cujus ultima tantum superficies patet sub qua interior aquarum copia latet. *In qua et agnus (humilis) natus et elephas (superbus) mergatur*, ait S. Gregorius, in epist. ad Leandrum.

Secundo: *Ut Deum pro explicatione precaremur*, inquit Origines, hom. XII. in Exod. Nux est Scriptura, corticem foris gerens, intus nucleum continens altissimorum mysteriorum. Ergo ut parvuli pro fractione nucis ad matrem recurrerent: ita voluit Deus ut pro explicatione mysteriorum Scripturæ ad ipsum recurreremus. Hoc medio utebatur D. Thomas Aquinas, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit nisi post orationem: in difficultatibus locorum s. Scripturæ ad orationem jejuniæ adhibebat.

Tertio: *Ut eam magnificaremur*, inquit Augustinus, de doct. christ. c. VI. Quæ enim vulgaria et passim obvia, parvi æstimantur; magni vero quæ rariora sunt, et cum labore parantur. Hyacintha florem rosæ præferimus non quia fragrantior, sed quia rarior: hinc quia recitata est Scriptura, studiosius eam scrutamur et tenacius memoriæ infigimus, quæ alioquin contemptibilis fieret, si ab iis intelligeretur, a quibus nec amatur nec custoditur. Latet ergo eos, qui eam scrutari nolunt, patet iis, qui studium adhibent, majore cum eorum fructu et delectatione; quia: *Quæ labore parata sunt, eo magis amantur, quæque longo tempore contingunt, constantius permanent*, ait S. Basilius, proœmio in Isaiam, hæc ipsa de re loquens.

Quarto, ut in ejus studio fructuose occuparemur, et hinc ab otio ac deterioribus studiis avocaremur, ut docet Clemens Alexandrinus, lib. VI. Strom. et Basilius, loco cit. qui ait: « Quem admodum opifex noster haudquaquam invidens nobis vitæ commoditates non passus est eodem modo nasci quo brutis, sed rerum necessariorum inopiam data opera addidit nobis,

veluti ingenii exercitamentum. Idem in Scripturis voluit esse obscuritatem ad utilitatem mentis humanæ, primum quidem ut his occupata a deterioribus avocetur, etc. » Horto similis est Scriptura, in quo omnis generis herbæ sunt, aliæ ad cibum, aliæ ad medicinam factæ: in eo nos occupari vult Deus, ut seligat unusquisque quod sibi conveniens est. *Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus subjicerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, etc.* inquit Petrus Chrysologus, serm. CXXVI. ideo proposuit eis parabolas.

Quinto, ut ea laudabili occupatione non solum doctiores sed et meliores redderemur. Ut enim molitor dum molendinum crebro perambulat et farinam tractat, interim totus albescit; ita qui ss. Scripturas sedulo terunt, inde et instruuntur et bonis moribus imbuuntur.

Sexto, ne quis de trivio præsumeret Scripturas

pro libito tractare, sed ut essent certi doctores, quibus hoc committeretur, adeoque ut alii quidem essent doctores, alii vero discipuli; ne alioquin, si omnes omnia scirent, ordo rerum confunderetur et vilesceret Dei verbum. Quocirca S. Basilius Demostheni, quod coquo Valentius imperator, pro Arianis garrienti, dixit: *Tuum est pulmenta coquere, non evangelium exponere.* Ergo qui Scripturas non intelligunt, legant vel audiant earum interpretes, quos si audire nolint, ipsi in culpa sunt, qui eas vilipendunt.

Septimo, ne infideles altissima fidei mysteria, quæ non intelligunt, irridere, ex Theophylacto, Luc. VIII. D. Hieronymo, in comment. super Nahum, cap. III. Ob id etiam Clemens Alexandrinus, lib. V. Strom. refert, Ægyptios consuevisse in valvis templorum sphinges collocare, in symbolum obscuritatis, ut docerent divina non passim vulganda, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

VERBUM DEI SIMILE GRANO SINAPIS.

I. Quia acrimoniam habet et mordet. — II. Quia non nisi ruminatum exerit vires. — III. Semel bene cordi impressum difficile extirpatur. — IV. Admodum salutare. — V. Utilissimum interim apud multos est.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Magna et cordi humano bene inculpanda est D. Hieronymi sententia de grano sinapis, quo doctrinam evangelicam, seu verbum Dei designari docuit. Ita enim in hodierno evangelio: *Quis est iste, inquit, qui seminat nisi sensus noster, et animus, qui suscipiens granum prædicationis, et fovens sementem, humorem fidei, facit in agro sui pectoris pullulare?* Jam si verbum Dei granum sinapis est, ergo et regnum cælorum? Profecto hoc consequitur ex hodierno evangelio; quod asserit grano sinapis simile esse regnum cælorum. Nec male. Sicut enim semen aut granum sinapis continet vim quamdam generativam, ex qua post actas radices, emissis frontibus, foliis et floribus, tandem fructus prodit: sic et Dei verbum satum in corde humano, primo radices agit, deinde virtutibus roboratum, flores bono-

rum operum, denique fructum vitæ æternæ gignit. Quare uti in semine seu grano sinapis continetur ipsa arbor et fructus: ita in verbo Dei vitæ æterna et regnum cælorum. Qua de causa appellatur sæpius in ss. litteris *verbum vitæ*, Actor. VII. ad Philipp. II. *verbum salutis*, Actor. XII. etc. Magnum hoc est salutis nostrum; quis enim Dei verbum audire non potest? Superest tamen, ut videamus, quam bene et congruenter verbum Dei comparetur grano sinapis. Quod hic exponemus.

I. Granum sinapis acrimoniam habet, qua linguam et os mordicat et urit quasi ignitum foret. Idem habet Dei verbum: acre est et ingratum; sed sensualitati, non rationi. Idcirco enim I. Corinth. I. ̄. XVIII. appellatur *verbum crucis*. Quis autem neget crucem carni et sensui contrariam esse? Omnes pene medicinæ acres et insuaves sunt, interim tamen salubres et servandæ vitæ necessariæ. *Quocirca ipse* (Christus) inquit Clemens Alexandrinus, lib. II. pædagog. c. XI. « Seipsum pulcherrime exponens, grano sinapis assimilavit: et verbi, quod seminatur, quod in eo inest spirituale, et reprehensionis mordacitatem et repugnandi facultatem esse utilem propter acrimoniam significans. » Quare sicut sinapi licet acre sit, amatur tamen ab apibus, quæ ipsius floribus insident; cum

tamen flores oleæ fugiant, teste Plinio, lib. XXI. c. XII. sic nimirum castæ et argumentosæ apes, animæ, inquam, Deo servientes amant Dei verbum, tametsi carni inamœnum et adversum sit, quia norunt esse utile ad favum æternæ felicitatis sibi conficiendum. Qui peccatis immersi hærent, fugiunt Dei verbum, quia ab eo redarguuntur: quo modo qui adulterinum aurum habent, fugiunt Lydium lapidem. Dulcia et mellea audire desiderant sibi que placentia; verum damno suo. Nam ut bene Clemens Alexandrinus, loc. cit. subdit: « Mel quidem cum sit dulcissimum, bilem generat: sinapi autem et bilem diminuit, hoc est, iram, phlegma excindit, hoc est, fastum ac superbiam. Ex quo verbo vera animæ sanitas æternæque bona temperatura accedit. » Bene igitur Psalmista dixit, Psalm. CVIII. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* Malens videlicet acre Dei verbum audire, quam melleum. Cæterum sensualitati tantum et carni, ut dixi, acre est, non rationi; uti insinuavit angelus Joanni apostolo, Apoc. X. quando ei porrexit librum comedendum, dicens: *Accipe librum, et devora illum; et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* Venter est sensualitas, os animæ est intellectus et ratio. Itaque verbum Dei dulce quidem ori seu rationi, amarum vero est ventri seu sensualitati, ut exponit et ait eo loco D. Thomas Aquinas; quia nimirum rationi veritatem aperit, et viam cœli ostendit; carnis vero petulantiam coeret; depravatæque naturæ licentiam comprimit. Itaque Dei verbum simile est pilulæ inauratæ et saccharo obductæ: rationi dulce, carni amarum; cujusmodi medicinam porrexit angelus Joanni. Quo etiam videntur spectare verba Zachariæ IX. dicentis: *Onus verbi Domini in terra Hadrach.* Hadrach Cœlesyriæ oppidum, a *chad*, quod est *acre*, et *rach*, quod est *molle*, compositum, quid aliud significat nisi populum, cui Dei verbum partim dulce est, partim acre? Dulce justis, acre injustis: dulce ratione utentibus, acre ventris mancipiis.

II. Granum sinapis non exerit virtutem suam nisi contritum et masticatum: sic et Dei verbum nisi meditatione et ruminatione conteratur, non patefacit vim suam. Ita imprimis S. Chrysostomus, homil. XLI. oper. imperf. in Matthæum. « Sicut, inquit, non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit: sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectum et memoriæ mandatum. Cibus ergo qui in stomacho stat, ille confortat: et sermo, qui in memoria manet, ille salvat. Unde et apud Judæos illa animalia sunt munda,

quæ revocant cibum et ruminant, etc. Levitici XI. Atqui « Ruminans animal, inquit Theodoretus, quæst. XI. in Levit. minuit divinatorum eloquiorum meditationem. » Reprobantur ergo illi, qui audiunt quidem Dei verbum, sed non retinent nec ruminant; quia scilicet vilipendunt. Non prodest cibus saltem durior, imo neque sapit, nisi masticetur; hinc qui dentibus carent, diu vivere non posse perhibentur, par ratio de verbo Dei; non proderit nec sapiet, nisi retineatur et coquatur. *Thesaurus desiderabilis*, ait Sapiens, Proverb. XXI. vers. XX. secundum Septuaginta *requiescit in ore sapientis, imprudens autem viri devorabunt illum.* Sanctus Augustinus, serm. XXVI. de diversis legit cum Syro: « Deglutiet illum, » additque: « Qui ergo audiet et negligentia sit obliviosus, quasi glutit, quod audit, ut jam in ore non sapiat, auditionem illam oblivione sepeliens. Qui autem in lege Domini, die ac nocte, quasi ruminat, etc. » Parum profuit Petro audisse verbum Domini de imminente sibi negationis periculo, quia id deglutiit. Unde lib. IV. revelat. S. Birgittæ, cap. V. legitur apparuisse beatæ ille et dixisse, causam lapsus sui fuisse oblivionem sui propositi, et promissionis Christi factæ, adeoque verbi Dei.

III. Semel in agro satum, non facile extirpatur. *Vix est sato semel eo liberare locum*, inquit Plin. lib. XIX. c. VIII. Idem habet Dei verbum: semel enim cordi insitum, non facile eradicatur. Tametsi enim ad tempus videtur oblivione aliqua, velut semen in agrum protectum, emortuum et sepultum, verius tamen sopitum est tantummodo, et suo tempore pro data occasione prodit se, et hominem vel redarguit vel instruit, vel consolatur et confortat. Unde ab apostolo ad Hebr. IV. appellatur *vivus Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, etc.* « Omne verbum, inquit Chrysostomus, homil. XLVII. oper. imperf. quod non habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba divina, quamvis rustica sint et incomposita, viva sunt, quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei; quasi sanguinem in venis inclusum, et ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum dicens: Quo ibimus? Verba viva habes. Omnia autem verba sæcularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, et quamvis sint composita et ingeniosa, mortua sunt; quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem Dei: propterea nec audientem salvant. » Jam ergo quia verbum Dei infallibiliter continet veritatem, semel bene imbibitum difficile evellitur, velut semen sinapis, vivens in terra. Oblitus quidem

ad tempus fuerat Petrus verbi, quod audierat a Christo, de nimia sua præfidentia et lapsu imminente; at quando evenisse vidit, quod prædictum sibi fuerat, tunc recordatus est verbi Jesu, quod dixerat: *Priusquam gallus cantet, ter me negabis*, Matth. XXVI. « Galli cantu, ait Victor Antiochenus, in c. XIV. Marci admonitus quasi a gravi somno excitatus, ad se reversus, comperit se in illud ipsum malum ac probrum decidisse, in quo Dominus ipsum prolapsurum paulo ante denuntiaverat. » Gallus ille prædicatores verbi Dei designavit, teste D. Gregorio, XXX. moral. capite IV. quorum cantus et admonitio tametsi non quamprimum cor hominis movet; movebit tamen suo tempore, accedente nova Dei gratia excitante. Sic enim et gallus ille suo licet iterato cantu non excitavit statim Petrum ad cognitionem erroris sui, excitavit tamen postea, ubi aspectus Christi accessit, et deinceps per totum vitæ decursum quoties cantare gallus a Petro auditus est, toties ad lacrymas eum permovit, uti refert Sanctus Clemens ejus discipulus. Hanc ob causam verbum Dei sagittæ comparatur sæpius in sacris litteris, uti Psalm. XLIV. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.* Accidit sæpe, ut cervus sagitta vel globo venatoris ictus non statim cadat, sed procul adhuc fugiat; non dolet tamen ob id venator, quia eum tandem alicubi casurum et inveniendum novit. Sic Magdalena cum a septem demoniis liberata per Christum fuisset, ejus utique verbo simul et beneficio quasi jaculo sauciata erat; verum nonnisi in domo Pharisæi primam ad pedes Christi concidit, et in lacrymas prorupit. Quasi enim cerva sagittata a Christo telo verbi et amoris huc illuc eucurrit quærens medelam, donec cognovit, quod in domo Pharisæi sibi noti, discubuit, Lucæ VII. Plures alios, qui consimili modo semel confixi telo verbi divini, requiem non habuerunt, donec ad salutis fontem et pœnitentiam recurrebant, alibi recensitos prætereo.

IV. Admodum salubre est, quod testatur Plinius, libro XX. capite XXII. « Sinapi, inquit, Pythagoras judicavit principatum habere ex iis, quorum in sublime vis feratur, quoniam non aliud magis in nares et cerebris penetret. Ad serpentum ictus, et scorpionum tritum cum aceto illinitur. Contra pituitam tenetur in ore: ad dentium dolorem manditur, stomacho utilissimum contra omnia vitia, etc. » Easdem utilitates, sed spirituales inveniemus in verbo Dei. Nam imprimis: *Qui in verbis veritatis, inquit Clemens Alexandrinus, libro I. strom. germane et sincere sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cælum ferentur, q. d. spreto*

mundanarum voluptatum cœno, in quo alii velut sues (ut ibidem explicat) volutantur, ad cœlestia bona toto pectore aspirant et evehuntur. Deinde in nares penetrat, intellectum illustrando, juxta id Psalm. CXVIII. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* In aliis scientiis non omnes proficiunt, quia non omnes sunt omnium capaces, verbi gratia, pueri aut rustici theologiæ aut philosophiæ; at verbum Dei omnes capiunt, parvi, magni, mulieres, et viri, rustici, et nobiles: omnes ab eo lumen accipiunt, et quo fine? Ut in his mundi tenebris et infinitis pene laqueis non errent, nec illaqueentur. Unde eodem Psalmo dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Detegit enim laqueos linguæ, auribus, oculis, ori, manibus et pedibus positos, ut ne indecens quid loquamur, audiamus, aspiciamus, cogitemus, agamus, adeamus. Docet in adversis esse patientes, in prosperis humiles, in periculis cautos, in agendis prudentes, in deliciis moderatos, in divitiis pauperes spiritu, in proximorum miseriis misericordes, in divino officio ferventes. Penetrat et in cerebrum, voluntatem expurgando, (quomodo et sinapi cerebrum repurgat, excitando sternutationes). Id testatur Dominus, Joan. XV. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* De sermone ultimæ cœnæ loquitur, in quo purgavit cerebrum Petro nimium sibi fidenti, quasi eum sequi ad mortem posset: Thomæ nescienti quo vaderet: Philippo nescienti Patrem ejus, expurgavit omnes ab affectu inordinato, a pusillanimitate et diffidentia. Simili modo et nos purgat Dei verbum a quibuscumque vitiis et erroribus nostris; si tamen id admittamus in cor nostrum, quin etiam ad instar sinapis lacrymas pœnitentibus exprimit, quibus eluant peccata sua, uti expressit Judæis illis, qui in die pentecostes ad prædicationem Petri compuncti sunt corde, Act. II. Servit etiam ad vitandos et arcendos scorpionum ac serpentum ictus, non minus quam sinapi. Quorum vero serpentum, nisi eorum de quibus, Luc. X. dixit Dominus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, h. e. super demones*, uti exponit S. Athanasius, in Ps. XXVIII. et alii. Hoc enim unico antidoto expugnavit et fugavit tentatorem in deserto, verbo inquam Dei, e Scripturis allegato: *Scriptum est: Non in solo pane, etc. Scriptum est: Dominum Deum adorabis.* Quam ob causam, uti Philisthæi summo studio caverunt, ne Hebræi arma haberent, quibus impugnari ab eis possent, I. Reg. XII. ita et demones spoliare verbo Dei Christianos nituntur. Verum tanto impensius arma hæc comparanda, Deique verbum et audiendum et prædicandum

est: *Opportune, importune*, inquit S. Hieronymus, in cap. XI. *Eccles. suo tenore Dei sermo est prædicandus, nec fidei tempore adversarum nubium consideranda tempestas, etc.*

V. Quamvis tam virtuosum sit hoc granum, Interim tamen minimum et tam vile est, ut nec terra quis elevare id dignetur; neque etiam præratum saporem, nec colorem nec odorem præstat. Pari modo verbum Dei tanta licet virtute præditum, apud plurimos mortales vile et contemptui habetur; quia nimirum reprobis communem resurrectionem, extremum iudicium et gehennam perpetuo inculcat. Nimirum: « Uti sicut rosas projiciunt et lutum querunt, perdices et bellaria respuunt, et glandibus agrestibus atque immunditiis avidissime pascuntur; sic immites homines verborum Dei gustum non habent et ad mundi opes incertas aspirant, » ut ait Hector Pintus, in cap. III. *Ezech. Sues dicuntur unguento præfocari*, inquit D. Chrysostomus, hom. V. in II. ad Corinth. Atqui unguentum est Dei verbum, de quo apostolus, II. Corinth. V. *Aliis quidem, ait, odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Odor vitæ erant apostoli gentibus, Dei verbum suscipientibus; odor mortis Judæis, id respicientibus: quibus dixit apostolus, Act. I. Vobis oportet primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis æterna vita, etc. convertimus ad gentes. Prævidit hanc mirabilem commutationem Isaias, c. XXVIII. cum dixit: Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, vulsos ab uberibus, h. e. eos, qui instar parvulorum, nuper a lacte subtractorum, recipiunt disciplinam, et patiuntur sese instrui; quales erant gentiles, rudes et ignari rerum divinarum. At vero ne Judæis, qui Dei verbum tamquam nasuti irriserunt et repulerunt, subdit: Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi, ut vadant et cadant retrorsum, et conlerantur, et illaqueantur, et capiuntur, q. d. quia loties verbum meum frustra ad eos misi, tamque diu ipsos, ut audirent illud, sustinui; debebunt iam et ipsi me expectare, sed ad suam perditionem, ut cadant non prorsum, quo se sublevent, sed retrorsum, quo cervicem frangunt ad instar illius Heli, quia et ipse sermones Domini proiecerat retrorsum, et magis honoraverat filios suos, quam Deum, I. Reg. IV. Qui in faciem cadunt, vident quo cadant, atque ad resurgendum facile se juvare possunt; non ita qui in dorsum corruunt. Certe taurus cum resupinus in tergum cadit, adeo terræ affixus hæret, ut pueris ludibrio fiat, teste sanctio, in locum illum Isaiæ. Sic Judæi ceciderunt*

de quibus Psal. XXI. ait propheta in persona Christi: *Tauri pingues obsederunt me. Jacent jam tot sæculis usque in hodiernum resupini illi tauri et miseri Judæi, et derisui sunt vel pueris. Jacent contracti velut vas figuli, quod non potest ultra instaurari*, Jer. XIX. Jacent illaqueati suis erroribus et superstitionibus, captivi in suis sceleribus, rei mortis æternæ. Vos ergo Christiani, ne in similem maledictionem incidatis, amate verbum Dei, hoc sinapis grano omnes vestros cibos, opera omnia condite.

CONCIO II.

ALIIQUOT SINAPI TEMPERANDIS CONVIVIIIS ET ALIIS MUNDI GAUDIIS.

I. Dei omnipræsentia. — II. Mundi fugacitas. — III. Mortis memoria. — IV. Memoria iudicii.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Math. XIII.

Nihil fere usitatus, quam hoc tempore ad mensas et convivias præsertim inter alia ciborum condimenta, etiam sinapi apponere in parvis scutellis. Mirari hoc quis posset, cum liquor ille sinapis et aspectui inamœnus, et gustui sit acerrimus, adeo ut immodice sumptus lacrymas excutiat. Verum respondebitur ad hoc, sinapi ad mensam poni, non quia colore aut sapore gratum sit, sed quia salutare; siquidem purget caput, stomachum quoque juvet ad digerendos crudiores cibos, denique dulciores acrimonia sua temperet. Bene est, acquiesco. Jam vero quam ob causam conqueruntur aliqui, quod plerumque concionatores ingrata multa prædicent, tristia quoque et amara suis concionibus inserant, quæ et aures feriant, et corda contristant? His enim respondeo cum S. Hieronymo, in hodierno evangelio, prædicationem evangelii esse granum sinapis de quo hic loquitur Christus; quare eam instar sinapis ingratham quidem, valde tamen salubrem esse; ut quæ intellectum ab erroribus expurget, voluntatem quoque ad dura quæque et aspera concoquenda et perferranda confortet, denique hujus mundi delicias ac voluptates sua asperitate temperet, ne illis cæci mortales nimium se immergant, et in iis pereant. Quoniam igitur hoc hiemali tempore plurima convivias passim celebrari, et collectæ fruges sæpe immoderate prodigi nimio epularum luxu solent, apponemus illis hodie aliquot patellas parvulas, sinapi refertas.

I. *Dominus videt.* Hoc nomine appellavit Abraham montem, in quo jussus fuerat immolare filium suum, Gen. XXII. Hebr. *moria*, id est, *visio*, quia scilicet visio seu oculus Dei semper vigilans compulsi ipsum patrare facinus omni ævo admirandum, utpote difficillimum et naturæ humanæ repugnantissimum, ut mactaret filium suum unicum et dilectissimum. Itaque accepto illo Dei mandato Abraham cum filio de nocte surrexit, stravitque asinum suum, et perrexit ad montem sacrificio destinatum, ut ibi exequeretur Dei mandatum. Quare non potius fugit sicut Jonas? Quia *Dominus videt.* Quare non monet filium, ut fuga sibi ipse consulat? Quia *Dominus videt.* Quare non substituit Ismaelem vel alienum filium pro Isaaco suo? Quia *Dominus videt.* Quare non mandat executionem alteri? Quia *Dominus videt.* Dominus, inquam, qui hoc mandavit, qui vel morigerum præmiabit, vel immorigerum damnabit. En quo non adegit Abraham oculus Dei, ipsi attendens, ipsi invigilans! Ad hunc ergo et tu quicumque es, attende mi homo, cum in convivio sedes, cum inter mundi gaudia et delicias versaris, et cogita quia *Dominus videt.* Videt quid agas, quid loquaris, quomodo edas et bibas, ut vel coronam tibi vel gehennam paret. Scio totum mundum esse unum montem *moria*, seu *visionis Dei*: ubicumque es in oculis Dei es: *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus, actusque nostros prospicit a luce prima in vespere.* Unde David, Psalm. LXII. ait: *In terra deserta, invia, et iniqua, sic in sancto apparui tibi, (Hebr. vidi te).* Ad litteram: Ita in desertis locis habitavi, ac si in sanctuario essem. Admonet hujus rei convivas Ecclesiasticus, cap. IX. his verbis: *Viri justi sint tibi convivæ et in timore Dei sit tibi gloriatio, et in sensu sit tibi cogitatio Dei, et omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.* Ad quid in convivio cogitatio de Deo, inquires. Ad hoc ut attendas tibi quid loquaris, agas, cogites, quia *Dominus videt* et adest. Jam si juberis servum mensæ ministrantem potitare, vel de epulis quid furari, mox tibi is responderet, quia *Dominus videt.* Rursum si pueri advertant vel etiam suspicentur præsentem esse pædagogum vel magistrum, qui per cancellos cœnaculi eorum acta dictaque omnia notet et observet, abstinet profecto ab iis, quæ non decet: cur non idem agimus omnes, cum sciamus ipsum Deum nobis undique attendere? *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* Cant. II. ubi S. Bernardus: « Præsto, inquit, est oculus, cui omnia patent etsi non patet: ipse vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat:

quem pro acumine visus, capræ assimilavit Scriptura. Hunc ego vereor occultum occultorum exploratorem. » Vigilem metueres, qui te sub dio in horto prandentem e turri contemplaretur: et non vereamur Deum a cælo nos contuentem? Carolus V. imperator rari artificii horologium habebat, quod in frequenti turba aulicorum a quodam surreptum fuit. Verum dum is forte cœnanti adstat imperatori, horologium in sinu furis tinnitu suo se prodit, et furem Cæsari indicat, simulque metu et rubore tantum non examinat. Qui mox ad pedes imperatoris cadens veniam impetravit, id solum ab ipso audiens: *Timorem spe longe vehementiorem esse affectum.* Refert Aut. Callimachus, in epigram. Quod si auris et oculus imperatoris adeo consternare potuit hominem, qui in furto uno læsit suum dominum, quanto plus poterit oculus et auris Dei, ne ipsum offendamus? Certe conterruit Davidem, semel in furto alienæ uxoris a Deo deprehensum, et per Nathan prophetam, verbo illo: *Tu es ille vir, quasi per tinnitum horologii, manifestatum et confusum, adeo ut supplex veniam precaretur, dicens: Peccavi Domino.* Posthac etiam continuus eum, ne in posterum tale quid amplius committeret; unde dixit Psalm. XV. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Alii legunt: *Non commovebor, q. d. hoc mihi frænum imposui, ne deinceps peccem: proposui me videre Deum a dextris mihi assistentem; sicut filius severum patrem ad mensam sibi assistentem aspicit continue, nec audet se commovere.*

II. *Mundus transit.* Hoc sinapi apponit nobis Sanctus Joannes, in epistola I. cap. I. qui cum dixisset: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, etc.* subjicit causam: *Quoniam mundus transit et concupiscentia ejus.* Audiit aliquando S. Nicolaus Tolentinus, cum esset adhuc canonicus, prædicantem in platea priorem ordinis eremitarum S. Augustini, et inter alia hanc Joannis sententiam allegantem: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, transit enim mundus et concupiscentia ejus.* Quæ sententia adeo mentem juvenis penetravit adeoque inflammavit, ut mox a concione fratrem illum obnixè rogaret, vellet ipsum in suam sodalitatem et ordinem recipere, mundum jam deserere cupientem, uti et factum. Ita habet auctor vitæ ejus, apud Sur. 10. septemb. Neque adeo mirum est, tantum potuisse hanc Scripturam in corde Nicolai, quis enim valde afficiatur aut delectetur ea re, quantumvis pretiosa et delectabili, quam in singula momenta eripiendam sibi novit? Quanto plus enim lætatur in ejus acquisitione, tanto plus tristatur in ejus